

Contēplatio
sincera
quæ sit?

per primam definiti vocem exprimuntur. Cæterum differentia in priori definitione explicatur per differentiam in posteriori definitione positam: videlicet tradere modum bene disferendi in genere, est explicare naturam instrumentorum Logicorum. Oportet enim in quocunque instrumento duo hæc accuratè adnotare, naturam & usum. Objicis, hæc ratione Dialecticam esse theoreticam & poëticam simul, cum agat de naturâ & usu instrumentorum Logicorum. Sed supra diluimus frigidam hanc oppositionem. Contemplatio sincera dicitur, quæ sibi ipsa est terminus sive finis. At hujusmodi contemplatio in Dialecticis non est. Sanè necessum est explicare quid sit definitio, antequam hoc instrumento utare. Num hæc talis explicatio faciet ut Dialectica sit theoretica? Nihil minùs. Sicut enim explicatio Ethica, quâ justitiæ natura ob oculos ponitur, nihil derogat praxi; ita & explicatio in Logicis non tollit poësin. Ais, tota Logica est generalis; quia supra traditum est, quòd supellex Dialectica sit cunctis apparata scientiis ad utendum pro suo cujusque commodo & facultate: usus autem specialis est hujus & illius facultatis proprius. Ajo, est æquivocatio in voce *specialis*. Non enim pars altera Logices dicitur specialis eò, quòd materias speciales attingat; sed comparatè, quòd non æquè sit generalis atque prima. Sic in Metaphysicis pars illa, quæ tradit de prædicamentis, dicitur specialis, quatenus confertur cum primâ, quæ est generalior. Paucis rem totam sic accipe: Aristoteles in topicis Dialecticam appellat *δύναμιν*, facultatem; quòd instrumenta ejus potestatem scientiis constituent ad disceptationes seu disertationes quascunq;. Ipsius itaq; munus est, talem potestatem explicare, quæ postea in actum educitur à Physico, Medico &c. Potestas autem illa duobus modis cõsiderari potest, scil. ratione *εἰσίας*, & *ἐξεσίας*, h. e. ratione essentia, & potestatis ipsius formaliter. Omnis enim potestas præsupponit essentiã: v. g. definitio, vel syllogismus cõsideratur ratione tũ essentia, quid & quotuplex sit; tũ potestatis, quomodo possimus uti utroq;, in analysi, in genesi, & utriusque speciebus. Itaq; pars Logicæ generalis naturã definitionis & syllogismi solummodo evolvit, at specialis illa modum iis utendi præscribit, non utitur ipsa; id quod hoc in loco repetimus,
ut natu-